



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

Contzen, Adam

Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI

In Capvt XVII. Qvæstiones.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83011](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83011)

VERSVS 2. 9.

*Et ait illi Abraham: Habent Moysen
& Prophetas, audiant illos.*

QUESTIO I.

*An quia ad Moysen & Prophetas remittuntur,
sola scriptura sufficiat?*

§. 1. Argumentum validum sibi necesse hæretici videntur. Habent Moysen & Prophetas, audiant illos, inquit, Abraham, inde concludit, non opus esse vt Lazarus mittatur. Ergo inquit hæretici sola scriptura sufficit ad omnia fidei documenta? Respondet Maldonatus abusum esse Scripturæ: si enim hinc concludi re velis & restringere fidem ad verba Abraham, consequetur, ne Apostolicis quidem scriptis credendum, quia Moysen & Prophetas nominat. Hic verò tantum de statu vitæ æternæ agitur, de qua satis ex Moysen & Prophetis constabat.

§. 2. Deinde concludunt cuiq; legendam vernaculâ linguâ Scripturam, & sine interprete. Quæ hæresis iam tot hæreses peperit, vt ab eâ recedant etiam plerique hæreticorum; quorum enim tot commentarii, nisi vt recte Scripturarum sensus intelligatur? Abraham quidem ad Moysen, & Prophetas fratres. Epulonem remittit, sed qualis in Ecclesia legi solebant, & ex mente Ecclesiæ intelligenda ad regem scriptam remittit iudex; verum non iudicio patrum legem submittit. Eos audire iubet, non expectare mortuos:

§. 3. Qui infideles sunt Prophetas contemnunt; salu omnia despiciunt, si mortui resurgant, spectant aut phantasmata fabulæque inanes iudicant. Aliquos Christus excitauit à mortuis, nec tamen illis crediderunt Pharisæi potius egerunt vt Lazarum occiderent alium quæri fuscitaret Christus. Pareus lib. 1. c. 8. de gratia & libero arbitrio, inde conficere conatur, non dari vlli salutem, nisi per verbum & fidem, quod verum est de fide, & verbo Dei reuelato; at ille constringit ad solam Scripturam. Non vult autem nisi per verbum fidei dare fidem ad salutem: Habent Moysen & Prophetas audiant illos. Quod non modo falsum est, sed etiam absurdum. Deus homines per creaturas, per angelos, per alios homines ad fidem excitare solet, non autem est alligatus ad solas Scripturas. Quid enim de illis dicemus, qui ante Moysen & Prophetas vixerunt, aut cum illis diuersa in parte mundi ludæis, audientes Moysen & Prophetas, gentilibus per alios docere

viam veritatis potuit; non enim eos ad Moysen remisit.

At lib. 4. c. 4. in eodem tractatu. Ex illis ipsis verbis Patrum auctoritatem eleuare conatur; quia ad Scripturas Abraham remittit: cum tamen non modo scripturas, sed eorum etiam sensum nobis Christus commendat; quæ non ex suo quisq; sensu, verum Ecclesiæ interpretatione sumat, necesse est. Alioqui frustra est lex posita, si legis sensus est incertus; si à nullo authentica interpretatio haberi potest, Seminarium enim litium est, legis sine iudice vox ambigua.

§. 4. Reuelationes à Deo non querendas ex hoc loco probare nititur Pareus l. 3. de iustificat. c. 8. [Nec dubitamus, quicunq; de dimissis sibi peccatis speciales à Deo reuelationes poscunt neq; credunt Euangelio, eos Deum horribiliter blasphemare, quia cum in verbo suo mendacem faciunt, quod qui credit in Filium Dei, accipiat per nomen eius remissionem peccatorum, & habeat vitam æternam. Clamant enim cum Epulone: Non Pater Abraham: sed si quis ex mortuis abierit ad nos, credemus, &c.]

Respondeo. Nemini dubium esse, credenti recta vnaq; fide remissa esse peccata, an vero conditionem illam quisq; explevit id non esse certum. Itaq; si quis dubitat an sibi peccata remissa sint, non facit Deum mendacem, sed de sua dubitat penitentia, vitæq; an illa sit, quæ in conspectu Dei placeat. Porro non sequitur fratribus diuitis non missam per mortuum reuelationem, non igitur vlli posse mitti. Multa enim Deus sanctis atq; etiam impiis reuelat, quæ alios latere vult: nec enim est abbreviata manus Domini, vt non possit, aut præcisa benignitas vt non velit apparitiones verò, & reuelationes plurimas esse, & fuisse in Ecclesiâ, omnis ætatis historia testatur. Adeo vt vix hæretici inueniantur qui eas negent. Verum de his aliâ occasione agendum.

§. 5. Item l. 4. c. 3. demonstrat Moysen & Prophetas à Christo probari, & Christum eorum sermones pro suis agnoscere. Quoniam autem Moysi literæ, verba sint Christi, ipse ait ad Iudæos, quemadmodum Ioannes in Euangelio commemoratus est. Si credidissetis Moysi, credidissetis & mihi: de me enim ille scripsit. Si autem illius literis non creditis, neque meum sermonibus credetis. Manifestissime significans Moysi literas, suos esse sermones. Ergo Moysi, & reliquorum sine dubio Prophetarum sermones ipsius sunt, quemadmodum demonstrauimus. Et iterum ipse Dominus ostendit Abraham dixisse diuiti, de his omnibus, qui adhuc erant in vita. Si Moysi & Prophetis non obediunt, nec si quis à mortuis resurgens ad illos eat, credent ei.

CAPVT XVII.

Et ait ad discipulos suos: Impossibile est, vt non veniant scandalâ: vñ autem illi, per quem veniunt. 2. Vtilius est illi, si lapis molaris imponatur circa collum eius, & projiciatur in mare, quam vt scandalizet vnus de pusillis istis: 3. Attendite vobis: Si peccauerit in te frater tuus, increpa illum: & si penitentiam egerit, dimitte illi. 4. Et si sepius in die peccauerit in te, & sepius in die conuersus fuerit ad te, dicens: Pœnitet me, dimitte illi. 5. Et dixerunt Apostoli Domino: Adauge nobis fidem. 6. Dixit autem Dominus: Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis huic arbori moro: Eradicare, & transplanare in mare: & obediet vobis. 7. Quis autem vestrum habens seruum aut antem, aut pascuentem, qui regresso de agro dicat illi: Statim transi, recumbe. 8. Et non dicat ei: Para quod conem, & præcinge te, & ministra mihi, donec manducem, & bibam; & post hæc tu manducabis, & bibes? 9. Nunquid gratiam habet seruo illi, quia fecit quæ ei imperauerat? 10. Non puto. Sic & vos cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite: Serui inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus. 11. Et factum est, dum iret in Ierusalêm, transibat per mediam Samariam, & Galileam. 12. Et cum ingrederetur quoddam castellum, occurrerunt ei decem viri leprosi, qui steterunt à longe. 13. Et leuauerunt vocem dicentes: Iesu præceptor, miserere nostri. 14. Quos vt vidit, dixit: Ite, ostendite vos sacerdotibus: Et factum est, dum irent, mundati sunt. 15. Vnus autem ex illis, vt vidit, quia mandatus est, regressus est, cum magna voce magnificans Deum. 16. Et cecidit in faciem ante pedes eius, gratias agens: & bice erat Samaritanus. 17. Respondens autem Iesus, dixit: Nonne decem mundati sunt? & nouem vbi sunt? 18. Non est inuentus, qui rediret, & daret gloriam Deo, nisi alienigena. 19. Et ait illi: Surge, vade, quia fides tua te saluum fecit. 20. Interrogatus autem à Pharisæis, Quando venit regnum Dei? respondens eis dixit: Non venit regnum Dei cum obseruatione: 21. Neq; dicent: Ecce hic, aut ecce illic. Ecce enim regnum Dei intra vos est. 22. Et ait ad discipulos suos: Venient dies, quando desiderabitis videre vnum deum Filij hominis, & non videbitis. 23. Et dicent vobis: Ecce hic, & ecce illic. Nolite ire, neq; secutemini. 24. Nam sicut fulgor co-ruiscens de sub celo in eâ, quâ sub celo sunt, fulget: ita erit Filius hominis in die sua. 25. Primum autem oportet illum multa pati, & reprobari a generatione hac. 26. Et sicut factum est in diebus Noe, ita erit & in diebus Filij hominis. 27. Edebant & bibeant:

Adami Conzen in Euang. Tom. II.

2

pxores:

dam, oves, duobus huius Ecclesie, E. & F. Complures Libri neutrum legunt, consonante Beda: neg, Gracē est horum alterum, duntaxat in i. a. v. o. c. a., sed si alterum horum addere oportet, facit Gracē id potius, qui oves addunt, quam qui boues, quia non proprie de pastoribus ovium dicitur. Quocirca & D. Ambrosius oves aut legit, aut intelligit: & Syrus agens Paraphrasin vertit: Ducentem par boum, aut pascentem oves, bobus enim ar abatur.

Ortum est ex imperitia alicuius (nec enim est Gracē) qui pascenti verbum nesciuit absolute poni, & quidem eleganter. Syrus habet דבר פרה דאדבר פאלדא, ducentem iugum boum. & דבר פרה דאדבר פאלדא, aut pascentem oves.

§. 1. Hæretici in hunc modum argumentantur: servus in utilis nihil meretur, nulla illi gratia debetur, & quamvis omnia imperata faciat, quia quod debuit facere fecit. Quod si dicamus plus aliquid facere, quod debeant, id quidem non concedant, sed tamen pro confesso sumunt: Facientes quod facere debent nihil me eri. ideo servandis præceptis meritum nullum esse præcepta enim servanda obligantur.

Non est tamen magni negotii eos refutare, vel his ipsis verbis. Non habet seruo Dominus gratiam, si faciat quod facere debuit. Duo possunt nihilominus incedere tempora, ut gratiam illi habere debeat. Primum est, si promissit. Alterum si plus fecit, quam præceptum est. An negant illi plus facere posse quemquam quam debet. Hoc falsum esse scriptura docuit. Paulus enim non est vltus potestate quæ potuit, cum de opera manuum, quam de Evangelio vivere maluit. Quotidie etiam fides dant elemosynas, quis misericordiâ, liberalitate, non necessitate conferunt. Plerique servum in scriptura vocari ministrum & mercenarium arbitrantur, idque variis locis docent: verum utique res intelligatur, possum in servis facile meritum intelligere.

Hecaton olim quærebatur, an à Domino servus beneficium accipere possit. Seneca lib. 3. de beneficiis c. 18. ex aliorum & sua sententia ita respondet: Sunt enim qui ita distinguunt, quædam beneficia esse, quædam officia, quædam ministeria. Beneficium esse, quod alienus daret; alienum est, qui potuit sine reprehensione cessare. Officium esse filij, vxoris, & earum personarum, quas necessitudo suscitât, & ferre opem iubet. Ministerium esse servus, quem conditio sua eo loco posuit, ut nihil eorum quæ præstat, imputet superiori. Propterea servos qui negat dare aliquando beneficium, ignarus est iuris humani, refert enim cuius animi sit, qui præstat, non cuius status. Nulli præclusus virtus est, omnibus patet, omnes admittit, omnes inuitat, ingenuos, libertinos, servos, reges, & exiles. non elegit domum nec censum; nudo homine contentus est. Quod enim interest, quæli quis teneatur imperio, si summo teneatur? Nam si seruo, quo minus in nomen meriti perveniat, necessitas obest. & patientia vilis timor: idem istud obstat, & ei qui regem habet, & ei qui ducem: quoniam, quanquam sub dispari titulo paria in illis licent. Atqui dant regibus suis, dant imperatoribus beneficia: ergo & Dominis. Potest servus iustus esse, potest fortis, potest magnanimus: ergo & beneficium dare potest. Nam & hoc virtus est, adeoq. Dominis servi beneficia possunt dare, ut ipsos sapè beneficia sua fecerint. Non est dubium, an servus beneficium dare possit cui libet: quare ergo non & Domino suo possit? Quia non potest, inquit, creditor Domini sui fieri, si pecuniam illi dederit. Alioqui quotidie Dominum suum obligat: peregrinantem sequitur, egro ministrat, & labore summo colit. Omnia tamen ista, quæ alio præstante, beneficia dicerentur, præstante seruo ministeria sunt. Beneficium enim id est, quod quis dedit, cum illi liceret & non dare: servus autem non habet negandi potestatem: ita non præstat, sed parat, nec id se fecisse iactat, quod non facere non potuit. Etiam sub ista lege vincam, & eo perducam servum, ut in multa liber sit. Interim dic mihi, si tibi ostendero aliquem servum pro salute Domini sui, sine respectu sui dimicantem, & confusum vulneribus, reliquias tamen sanguinis ab ipsis viatibus fundentem, & ut ille effugendi tempus habeat, moram suam

Adami Conzen in Euang. Tom. II.

morte querentem: hunc tu negabis beneficium dedisse, quia servus est? Si tibi ostendero aliquem, ut secreta Domini prodant, nullâ tyranni pollicitatione corruptum, nullis terribus minis, nullis cruciatibus victum, avertisse quantum potuerit, suspiciones querentis, & impendisse Spiritum fidei: hunc tu negabis beneficium Domino dedisse, quia servus est? Vide ne eo magis sit, quod rarius est exemplum virtutis in servis: eoq. gratius, quod cum ferè inuisa imperia sint, & omnis necessitas gravis commune servitutis odium, in aliquo Domini charitas vicit. Ita non ideo beneficium non est, quia à seruo profectum est: sed ideo magis, quia deterere ab illo nec servitus quidem potuit.

Beneficii rationem exponit: c. 21. Quædam, ait, sunt quæ leges nec iubent, nec vetant facere: In his servus materiam beneficii habet. Quamdiu præstat, quod à seruo exigi solet, ministerium est: ubi plus, quam quod seruo necesse est, beneficium. Vbi in affectum animi transit, desinit vocari ministerium.

Hæc ille de servis seu mancipiis, quos tamen Chrysippus civiliter & humaniter vocabat perpetuos mercenarios, μιθωτῆς, seu μισθοφόρος.

Hæc in hominum servis facile intelliguntur. Nam homo ab homine quovis, beneficium accipere potest, dare beneficium potest. Deus à nullo. Servitus humana non descendit in totum hominem, animus liber est, nec ad omnia parere etiâ infirmus servus maximo Domino tenetur. At Deus animus præcipue impendit sibi imperat, qui nullius rei exceptione imperium recusare potest. Plus enim præstare potest, quam quod Deus imperavit. De hominis seruo ita Seneca loquitur. c. 22. Servus (ut placet Chrysippo) perpetuus mercenarius est. Quem admodum ille beneficium dat, ubi plus præstat, quam quod operis locavit: sic servus ubi benevolentia erga Dominum fortune, suæ modum transit, & alius aliquid ausus, quod etiam felicius nato decori esset, & semper Domini antecessit, beneficium est intra domum inuentum. An aquum tibi videtur, quibus, si minus dubito faciant, irascimur: non haberi gratiam, si plus debito solviog, fecerint? Vt scire, quando non sit beneficium? ubi dici potest. Quid si nollet? ubi vero id præstat, quod nolle licuit, voluisse laudandum est.

Hæc certe seruo Dei conveniunt, non ut Deo beneficium conferat, sed ut aliquid faciat boni non inultus, & omittere sine peccato possit. Ministerium Deo præstare potest, si agat bonum in quo liber est. Possit autem nos agere multa, ad quæ Deus non obligavit vel illud indicio est, quod in illis omitterendis peccatum non sit. Multi in singulos dies per integram horam orationi vacant, nec tamen si aliquando omittant, aut tempus imminuant, idcirco criminis rei sunt. Calviniani etiam recte agere se putant, audiendo maledicas suorum conciones, binas interdum ternasq. audient die vna, nec eum tamen condemnant, si quis vnam duntaxat audierit, imo, si quis nullam.

§. 2. Qui verò ita servi sunt, ut de dominorum suorum sint possessio, & ut vocat Aristoteles instrumenta viva, multo minus gloriarî possunt. Illi cum omnia fecerunt, servi inutiles sunt: nec laudem merentur, nec gratia ipsis villa debetur, verum, si non obtemperant, puniuntur.

Non pascies in cruce corvos,

Respondet Dominus seruo virtutes tantanti, aut de officio præstito glorianti.

Ex his clarum euadit, servorum inutilitatem non in eo esse, ut nihil mereantur, sed ut gratia illis non debeat. Mercedē enim & demensum suum à Domino accipiunt, & seruo fideli dicitur. Quia in pauca fuisse fidelis, super multa te constituam; intra in gaudium Domini tui. Servientibus igitur strenuè, ut hic dicitur, accinctis & ut Syrus; accinctis lumbos ציצת chataich, ista conueniunt.

§. 3. Id difficilius est, quomodo ideo servi inutiles simus, quia fecimus quod debemus. Non enim ille inutilis est, qui facit officium, sed qui nihil Domino utilitatis adfert. Primò quidem humilitatis causa ita

O 3 existit.

humilica-
tem docet
nos nostra
inutilitas.

existimare debemus, vt Orig. hom. 12. in Ios. Chryf. de poenitentia aliiq; docent. Humilitatis, inquam, & Veritatis: n. in reuera inuiles, non modo opinione nostra. Syrus: nunquid gratiam recipis seruus illius? Hoc est, nunquid ex se seruo suo gratiam debere arbitrat? Eadem prorsus est de seruo interpretatio Theophylacti: Monstratur enim per hanc, inquit, parabolam, quod non oportet extolli in bono quopiam opere, imo neq; in omnium mandatorum impletione. Seruo enim necessitas incumbit, vt faciat mandata Domini, neq; vt bonū opus sibi ascribere debet. Quippe si non operabitur dignior est multis plagis: cum autem operatus fuerit, contentus sit, quod plagas effugerit. Proinde non oportet de hoc precium vel honorem querere. Liberalitatis enim Domini fuerit dare, imo largiri ei. Igitur & qui seruit Deo, etiam si mandata perficiat, non debet extolli. Nihil enim magnum fecit, sed vt erit ei, nisi fecerit: sicut Apostolus dicit: vt mihi, nisi euangelizauero. Proinde si dona fuerit affectus, non debet in illis superbi. & de eis se iactare. Beneficia enim sunt: per misericordiam Dei illi concessa, nō quod debeat ei aliquid Dominus, imo seruus debet Domino suo, vt faciat omnia eius mandata. Si autem & cum omnia mandata fecerimus: neq; tunc debemus magnum quiddā sentire: quāntum peccamus, cum maximā partē mandatorum Dei non perficimus, & nihilominus extollimur?

Mercenario
non debe-
tur gratia
si fecit, quod
debit.

Beda & Lyranus idcirco vocat inuiles, quia nihil Deo vilitatis attulimus, quod verum est, quamuis illud non agebatur. Ideo n. vocat inuiles, quia fecimus quod facere debuimus. Vt res perspicue intelligatur, obseruandum est, duplex esse ministrorum genus. Alii n. sunt verē proprieq; serui dñi, ut in bello capti vel empti, vel domi nati. Alii sunt mercede conducti, ipsi quidem liberi, sed opera eorum empti est, & serua. Si de mercenario agitur, in aperto est sententia. Ille enim qui mercede pacta arauit, aut paui, eam recipit, sed quia ultra quam pactus erat nihil fecit, gratiā nullam Dominus illi debet; quia autem & hoc in pactis erat, vt pararet Domino, & cōnanti ministraret, ne eius quidem rei gratia debuit Dominus. Seruus ergo ille inutilis dicitur, non quod mercedem meritis non sit; nam & cōnam prābet illi Dominus; & mercedē dedit. Sed quod nihil sit, quo gloriari possint, aut quod Dominus ultra ipsis debeat, non merentur peculiarem laudem, sed si non fecerint quod imperatum est, poenam. Sic I. Cor. 1. 16. Nam est euangelizauero, non est mihi gloria: necessitas enim mihi incumbit: vt enim mihi sit, si non euangelizauero. Si enim volens hoc ago, mercedem habeo: si autem inuitus, dispensatio mihi credita est. Quia est ergo merces mea: vt Euangelium predicans, sine sumptu ponam Euangelium, vt non abutar potestate mea in Euangelio. Nam cum liber essem ex omnibus, omnium me seruum feci: vt plures lucrifacerem.

Nullum o-
pus ex nobis
est merito-
riū, omnia
inutilia.

§. 4. Clarissimē rem exposuerunt Ambr. & August. Quum enim Ambrosius nos humilitatem à Christo discere velit, vt & Chryso. in illud, Elatum est Cor O-zia; hoc tamen viget, nos inuiles esse, ex nobis scilicet quicquid prastamus id à gratia esse. August. serm. 3. de verbis Domini in eandem sententiam dicit. Ideo igitur serui inuiles. Deus enim iure suo vbi potest, omnia nobis imperare, nullam mercedem conferre, quā si omnia accuratissimē, summo studio, charitate, obedientia prastaremus, nihil tamen mercedis exigere possemus, vetū summā gratiā habendā essent creatori, quod vt nostra opera ad suam gloriam illustrandā dignatus sit. Hæc est enim nostra conditio, & multis titulis debitum obsequiū. Nunc vero quod Deus bene agentibus mercedem promissit, fœdus nobiscum inierit, gratiā misericordiæ est, quæ et si mercedis spem ostendat, non tamen efficit, quo minus peccatis nobis, & operibus nostris, sine pacto misericordissimā retributionis, plane serui inuiles sumus. Optimū enim & difficillimum opus, etiam diuina gratia adiutrice, promptissimē factum, sine promissione & pacto

inutile est; nam sua vi aut honestate creatorem obli-gare non potest.

§. 5. Impugnat Amb. Bed. Aug. Pare. 1. de iust. c. 1. Ambrosii expositio negat ad rem esse, non enim Christum de eo agere, quod ex nobis prastare possu-mus, cum nihil sic possimus, sed dicere; cum seruus omnia dicite serui inuiles sumus. Responsione mea Amb. non eget, verba eius in medium allata rem conficiunt: Hoc, inquit, ideo, vt nemo in operib; gloriatur, quia iure Domi-no debemus obsequium. Nam si tu non dicis seruo aranti, aut oues pascenti, Transi, recumbe, (vbi intelligitur quia nullus recumbit, nisi ante te anserit. Deniq; & Moyses ante tranfuit, vt magnū visum videret.) Sicut ergo tu non solum non dicis seruo tuo, Recumbe, sed exigis ab eo aliud minusseruiū. & gratias ei non Omnia agnoscit nec in te patitur Dominus vniū visum esse operis aut la-mus de-laboris, quia dū viuimus, debemus semper operari. Ergo agnosce te reus fore esse seruū plurimū obsequiis deseruatiū. Non te prastat, quia prastatū filius Dei dicitis: agnosce gratia sed non ignoranda natura, ex qua Neg, te iactes si bene seruisti, quod facere debuisti. Obsequitur danti. Sol. obtemperat Luna, seruiunt angeli. Vas gentiū electū à Do-mino: non sum, inquit, dignus vocari Apostolus, quia per ciuitatem sum Ecclesiam Dei. Deinde alibi nullus se ostendens confisus culpa, subiecit, sed non in hoc iustificatus sum. Et non ergo non à nobis laudē exigamus, ne perperiamus iudiciū Dei, & prastatū-mus sententiā iudicis, sed suo tempore, suo iudice referemus.

Fundamenta ponit Ambr. ista; non glo. iandū de re-no opere, de eo gratias non haberi, sed plura exig. ait verō non ignorandū naturā, cui nihil debetur, agnos-cendā gratiā, cui ex solo promisso operati merceda-tur: Aug. ista clari expositio loco citato: Neg, inquit, perfectio in legē est notitia, cum sit scriptū: Non n. audire uili-gu iusti sunt apud Deum, sed factores legū iustificabuntur. Neg, inquam, in religioſus & sanctus est, qui non legē essentibus factis cum expedit facere magis quā docere, quia molestū est docere, & non facere. Vos amici mei iste inquit, si fecerit ea quæ mando vobis. O magna bonitas Dei: cui cū pro cōditis mercedē Debitū debeamus obsequia, vt potest serui Domino, famuli Deo, subiecti in reman-potenti, mancipia redemptoris, amicitiarū nobis premia repro-randa. mittit, vt à nobis obsequia debita seruutur extorqueat: vt quos nolle seruire conspiciat spōte, suorum beneficiorū post promissionibus inuitare, & quorum voluntates à se cōspiciat alienas, totū inter-premiorū liberalitatib; constituat suas. Nam vnde sequitur aut inuitat premio, aut terret supplicio, nisi vt benignitatis cō-filio à se formato homini consulat redempto prouideat: vt qui nō terretur supplicio, inuitetur premio: & quæ meritis facti reuocare nō possit, promissionū benignitas prosit? Cupit n. etiam iustitib; subuenire: desiderat misereri peccanti, si is qui peccauerit dignos fructus exhibeat poenitentia. Inuitus n. in reos vindicat, si rei indulgentiā miseranti nō cōtemnant. Amat n. corrūpt peccatores, qui in vitā, non in mortē, & principio constituit beati-tudine, si sibi inferit interitū, qui mendicis Domini contemnit cōspiciū: Reuertimini, inquit, ad me, & reuertar ad vos: & iterum, Nolo mortē morientis, tantū reuertatur, & viuat. Non vult Dominus in quemquā dominari mortē, non vult in poenā reuocari hominē, quē in vitā constituit. Caterū homo ipse se dignū efficit n. ore, qui non paruit legi. Odit vitā, qui diuinam contempsit disciplinā. Nā cum Dominus veller hominē demonstrare, quæ obseruati-vitā, contemnit asserit mortē, inuitat aut premio, terret supplicio. Ita n. de contemptu vitā nō poterit prouenire, vt de obseruati-tia mors euenire nō poterit, vt iam homo q; voluerit mercedē, & eo q; meruerit iudicetur: & hoc totū in potestate hominis cō-Potuit sifit, qui sibi ex qualitate vitæ meritum quo d habere inuenit.

In his verbis primo videmus nos mancipia creato-ris dici, cui omnia sint obsequia impendenda, ideoque seruos inuiles esse, cū nec Deo proliat opera nostra, nec nobis, vt ante explicui, deinde verō nos à Deo inuitari pmo, & in nobis politū esse q; voluerim mereri.

§. 6. Pergit porro Pareus: [Est hoc sanē, inquit, egre-
giū, nos dici seruos inuiles, quoniam cū omnia manda-
ta seruauimus, nihil fecim⁹ ultra id, q; debem⁹: imo ni-
hil facim⁹, nisi q; debemus: & nihil nos inde iuste mer-
cedis

sedis petere posse, nullūq; præmiū Deū pro operibus nobis impis debere. Hæc, inquam, egregie ad mentem Christi aduersarius non ex Augustino describit, sed inconsiderate ad seipsum iugulandum seipsum. Considerate enim singula. Si nos omnia facientes nihil facimus ultra, quod debemus (debit dicere ex mente Christi: si nihil facimus, nisi quod facere debemus.) Igitur omnia quæ facimus sunt opera debita. Falsum igitur quod sint vitæ æternæ merita. Si omnia facientes nihil facimus ultra id quod debemus, seu quod Deus præcepit; falsum igitur quod supra dixit, nos posse ultra id, quod debemus, seu quod Deus præcepit, præstare. Potest, inquit, homo facere plus quam Deus præcepit. Igitur multo magis potest implere præcepta, quæ infamia nulla maior. Si denique nihil nos pro omnibus operibus nostris iuste mercedis petere possumus: falsum igitur, Deum operibus nostris ex condigno, & ex iure debere vitam æternam: quod infamia in aduersario inuenimus.]

Falsum est, ex eo quod debitum est, non esse meritum, non est ex natura; sed promissio. Falsum est non posse quicquam fieri, nisi quod præceptum est.

Supradū vero quod neget pacti mentionem esse apud Augustinum, ait, præmia amicitiarum promittere; promissionibus inuitare, mentes premiorum liberalitatibus constituere suas, inuitare premio. Hinc hominem mereri quod reuerit, hoc totum in voluntate hominis consistere. Qui sibi ex qualitate vitæ meritum, quod haberet, inuenit. Et tamen exclamat Pareus. Hocne pactum de nostro merito? Imo vero pactum, nam promissio est de merito. Quibus ex verbis etiam discimus. Licere operari intuitu mercedis, quia Deus sic inuitat. Nostra in potestate esse meritum vitæ, & mortis. Denique meritum esse: Falsum igitur & illud, quo concludit; Aperta hæc nimis Augustini deprauiatio, atque hoc est quod ait D. Thom. 1. 2. q. 11. 4. a. absolute nos nihil mereri, sed ex ordinatione Dei. Et ipse aduersarius fatetur, Deum iustum esse in præmiū redditione, quia seruat, quod promissit. Verum non est sola fidelitas, seu veracitas, sed etiam iustitia. Nam promittere potest etiam nihil agentibus, hic requirit opus, & mercedem promittit. Verum nobis satis est mercedem esse debitam, quia promissa est, in titulo veracitatis, an iustitiæ proprie dicte, iam non disquirimus. Perpetuo enim clamamus, Deum nostra merita in Christi meritis fundare, Deum in nobis coronare sua dona; sed quæ post promissionem, non coronare non potest,

πᾶσι τοῖς ἀγαθοῖς ὁμοῦς ἀνταπόδοις ἰσχυρῶς.
Orex omnibus mercedem operibus dignam reddit.

Ait Apollinar. Psalm. 61.

Et Chrysost. de periurio. Τὸν ἡμῶν νόμον ἐστὶν καὶ ἐν δόξῃ καὶ ἐν ἡμῶν, ἀλλὰ καὶ ἐν τοῖς ἄλλοις οἷοι πολλὸν ὅτι οἱ καὶ κατὰ νόμον, ἀλλὰ καὶ τοῖς ἐπὶ τοῖς καθ' ὅλην τὴν ἀποστολὴν ἀποδοῦναι μετὰ τὴν. Non iurare erit nobis ornatus, & securitas, verum multam etiam adferet mercedem, non modicum, quæ nos recte fecerimus, sed etiam quæ alijs ex virtute agerunt, mercedem maximam nanciscimur.

§. 7. Insigne hoc argumentum pro bonorum operum necessitate ducimus. Qui enim non faciunt, quæ debuerant, quid erunt, si illi qui faciunt, sunt serui inutiles?

§. 8. Vrgent tamen; mancipia nos esse Dei, totos eius esse, quicquid agimus, illi debitum esse. Totum peculium nostrum esse Dei. Docuerunt ista melius sancti Patres & Theologi, quam vllus hæreticorum concipere possit. Omnia a Deo nobis data sunt, nihil nostrum est, quod non sit magis Dei, nostra etiam opera bona Dei sunt munera. Verum hic de præceptis quæstio instituitur: non enim omnia quæ exigere iure potuit, lege mandauit. Exiguo contentus obsequio, nostro quædam reliquit arbitrio.

§. 9. Denique quæstionem proponit Theophylactus & soluit: Quare igitur, inquit, condemnas Dominus, & miseros dicis eos qui scandala faciunt, si ex necessitate illa eueniunt? Omne autem quod necessarium, hoc & venia dignum. Sed audi, quod necessitas illa ex voluntate habet initium, & ita dicere vult Dominus, videns malitiam hominum qui tunc erant: prout erant in omne malum, nihil bonum eligeant: quod quantum ad consequentiam eorum quæ videntur, necesse sit venire scandala. Malitia igitur cui student homines ex voluntate est. Operatio autem offendiculi non necessario malitiam comitatur; & ita propter hoc puniendi sunt scandalorum auctores. Et age dicamus exempla: Videns quempiam malam dietam seruare, & insatiabilem esse, dicit: Necessarium est illum agrotare. Num igitur morbus necessarius? Etiam, quatenus adseruat malam dietam. Propterea v. h. qui predicationem impediunt, eo quod in tantam peruenerunt malitiam, ut etiam necessario eueniant scandala. Et expedit et homini scandala & offendicula facienti, molam asinariam in collo eius appendi, & projici eum in mare, quam vnum ex pusillis fidelibus scandalizari & subueri. Ideo munit discipulos suos, & dicit: Caute vobis. Ecce (inquit) predico vobis quod venient mala. Inexutabiles estis. Necessarium enim, ut eueniant illa, non necesse autem vos perire, siquidem munueritis & armaueritis vos. Necessarium enim est venire lupum: sed si vigilauerit Pastor, non necessarium est perire oves, sed lupus frustra hians abibit. Dixit igitur hæc de his qui offendunt, hoc est impediunt & nocent. Quoniam autem multa horum differentia: Nam alij quidem sunt incurabiles, quales Pharisei: alij vero sanabiles, quales fratres Domini erga Dominum ipsum: nam neg, ipsi credebant in eum.

VERSUS II.

*Et factum est dum iret in Ierusalem;
transibat per mediam Samariam
& Galileam.*

QUESTIO I.

Quæ in historia decem leproforum obseruanda?

§. 1. E Piphanius hanc historiam eandem cum ea, quam Matthæus recitat, arbitrat, cū tamen hic decem, apud Matthæum vnus sit. Iren. 1. 3. c. 14. non recenset eam inter illa quæ solius Lucæ sunt.

VERSUS 18.

Non est inuentus qui rediret & daret gloriam Deo nisi hic alienigena.

§. 1. D Are gloriam Deo, est beneficii auctorem Deum agnoscere, quod fecit Samarites. Tertull. 1. 4. contr. Marcion. c. 35. Vnde & vnum, inquit, illum solum ex decem, memorem diuine gratiæ, Samariten miratus, non mandat offerre munus ex lege, quia satis iam obtulerat, gloriam Deo reddens: hoc & Domino volente interpretari legem. Et tamen cui Deo gratiam reddidit Samarites; quando nec Israelites alium Deum vsque adhuc didicisset? Cui alij quam cui omnes remediati retro à Christo?

§. 2. Syrus per Samaritanos dicit inisse in Galileam, itaque vel corrigendus est textus, vel dicendum, Christum per Samariam, deinde per partem Galiliæ venisse.

Pro eo, quod noster & Græcus habet, non est inuentus, Syriace est: Quare separati sunt. פֶּרְשֵׁי לְבָיָא lema pæschbu. Neimpe leparati erant, ut non redirent, & redderent gloriam Deo.

VERSUS 19.

Et ait illi: Surge, vade quia fides tua te saluum fecit.

QVÆSTIO I.

Quomodo Samaritanum fides saluum fecit?

Qua fides
Samarita-
ni?

§. II. **E**odem modo, quo ante sæpe expositum est. Nempe fides erat, qua Christum credebat sanare posse. Illà velut duce ad Christum veniebat; initium enim salutis est credere. Non autem fides erat, qua se saluos sine vlla pœnitentia credebant. Alii enim fide sanati sunt, sed vel à sacerdotibus deprauati, vel sua sponte ingrati, à fide naufragauerunt, nec redierunt, vt darent gloriam Deo. Eadem ergo fides fuit omnium, qua saluati sunt.

VERSUS 20.

*Interrogatus autem à Phariseis:
Quando venit regnum Dei? re-
spondens eis dixit: Non venit re-
gnum Dei cum observatione.*

QVÆSTIO I.

Quod vocatur regnum Dei?

§. 1. **I**N Christi concione frequentissima erat regni Dei mentio, itaque per contemptum, vel curiositatem rogabant, quando tandem illud venturum esset. Quale autem fuerit regnum, admodum varie sentiant, alii regnum Christi spiritale, alii temporale, alii vitam beatam arbitrantur.

Regnū Dei
aliud Chri-
sto, aliud
Iudeis.

§. 2. Constituendum est principio non idem vocari Phariseis regnum Dei, & a Christo. Regnū Dei illi imaginabantur regnum Messie felix, potens, Augustum, quo regum exterorū servitio liberati, vniuerso tandem o:bi dominarentur. Regnū igitur Dei opponunt quatuor monarchiis Daniels c. 7. Regnum æternum, regnum quod nō finitur. Nec tale regnum Messie, & veteres, & hodierni Iudæi fore existimabāt.

§ 3. Geg Nyffl. de beatit. & virginit. Ideo regnum Dei intrans esse, quia Dei imaginem habemus in nobis. Beda Fidem. Nazian. lætiam habemus in nobis. Eucher. qq. in Lucam; virtutem Dei & meritum interpretantur, quæ omnia hanc expositionem adiuuant, Euangelium enim cum omnibus suis effectis & circumstantiis vocatur regnum Dei, & virtus Dei.

Regnum est
Euangelij
predicatio.

§. 4. Christus regnum Dei vocat Evangelii prædicationem à se inceptam, & continuatam. Ecce, inquit, regnum Dei intra vos est. Aliud autem regnum non erat, non externū, non aliud prærium. Porro regnum Dei eam habere significacionemahas docui, nec enim hic est vita beata, quæ intra eos non erat. Dicuntur hæc ad eos excitandos, ut moneantur, si velint, participes regni effici. Nec tamen illi qui rogabant, forte Evangelium receperant, sed intra eos erat, quia illis prædicabatur, & multi obediabant Evangelio.

Hucaliorum interpretationes haud difficulter reuocari possunt.

Regnum Dei est intra vos, non tamen ideo est Ec-
clesia inuisibilis: Nam certa signa & aspectabilia in
ea Deus posuit: vt ignorari non possint.

Regnū Dei
creatoris.

§. 5. Tertull. l. 4. c. 35. contra Marcion. Sed nec, ait, Pharisei possunt videri de alterius Dei regno consuluisse Dominum, quando viderimus sit, quam diu alius a Christo editus Deus non erat: nec ille de alterius regno respondisse, quam de cuius consilio batur. Non venit, inquit, regnum Dei cum observatione. Nec dicitur: Ecce hic, ecce illic. Ecce enim regnum Dei intra vos est. Quis non ita interpretabatur, intra vos est, id est in manu, in potestate vestra: si audiat, si faciatius Dei preceptum: Quod si in precepto est Dei regnum, proponere igitur contra, secundum nostras Antistheses, Moysen, & vna sententia est. Preceptum, inquit, exselsum non est, nec longe a te. Non est in caelo, ut dicas, quis ascendit in caelum, & deponet nobis illud.

& auditum illud faciemus: Prope te est verbum, in ore tuo, & in corde tuo, & in manibus tuis facere illud. Hoc erit: Non hic, nec illic: ecce enim intra vos est regnum Dei. Et ne argumentur audacia heretici, de regno creatoris, de quo confutabatur, non de suo respondisse ei Dominum, sequentia obfistunt.

§. 6. Regnum Dei non est beatitudo cœlestis loco, cum quia non erat intra eos, nemo enim beatus erat, nisi spe & accepto pignore salutis, tum quia Pharisei de ista non quærebant, non enim putabant adesse extremum diem, quo regnum illud inciperet.

QVÆSTIO II.

*An non veniat regnum Dei cum observa-
tione?*

§.1. **Q**uestionis difficultas ex eo oritur, quod Christus Matth. 25. & hic 21. signa aduentus sui ^{signa} sui recenset. Imo Matth. 16. 3. quod faciem celi inde ^{placere} placere possint, tempus visitationis non possent, ipse ^{regni} regni probat. Signa igitur regni aliqua data sunt, & eo ^{fi} fi. gnosci poterunt. Non tamen ea signa malefactorum ^{signa} signa, quae animo Pharisei conceperant.

Simpliciter tamen non venit ^{על} ארצה ישראל, hoc est, accurata, & diligenti, atque ideo superfluitosa observatione, hoc est enim ארצה תבעי; nam illi prudentes se observatos exultabant. Idem indicat Syrus בנחמיהם ^{bamburetha}, hoc est, non venit regnum Dei in excubiis, custodiis, observationibus, quomodo eorum aduentus ordinati omnes expediant. Hac observatione & splendore non venit. Theophylactus interpretatur, non esse regio tempus certum constitutum: quod etiam verum est.

§ 2. Regnum Dei, quodiam intraillos erat, non venit cum observatione: hoc enim expresse Christus affirmat. Non enim dicent: Ecce hic, aut illic, non erit regnum temporale, & expectabile, non præbunt mentatores, tubæ, satellites, vt more regum ostēdatur.

VERSUS 22.

*Et ait ad discipulos suos: Venient dies,
quando desiderabitis videre unum
diem filij hominis, & nō videbitis.*

QVÆSTIO I.

Quis sit dies filij hominis?

§. 1. **C**yrillus D. Thom. Euthym. esse vnam talem Dicit Dion.
diem, qualis illæ erant, quibus cum Christo
verfabantur in terra; hoc est, quietem securam sine
persecutionibus. Nam est *μια ημερα* vna dierum; seu,
vna ex diebus. Ita Syrus habet *ימיו מן הימים* Chal.
iamtha, vnam de diebus, vel ex diebus.

§. 2. Bēda, extremum diem, iudicium esse interpretatur. Hocrefertur: quia omnes diem illum vident, et desiderio eius vident flagrantē Apostoli, et omnes iusti, non igitur negat eos visuros esse. Franciscus Lucas ait: v. 26. cum vti plurali, vincetum relinquit, vno aut pluribus diebus duraturum sit iudicium: atque ita facile interpretat quid sit, quod ait, *μία ἡμέρα, vna dierum.*

Beza de tempore quo captus fuit, vsq; dum ad spi-
ritu sancto confirmaretur, at tum nequaquam dice-
runt, *Ecce hic, aut illic*. Nemo enim infidelium ostende-
bat Christum resurrexisse, & illi qui testabantur, veri
testes erant; Nam discipuli reprehenduntur, quod
non crederent illis, qui ipsum viderant.

§. 3. De vltima mundi die, qua omnia finientur,
non tantum agitur, sed de tempore & diebus, quod il-
lam antecedit; atq; adeo illa ipsa. Itaque sensus est.
Desiderabitis videre vnum diem ex diebus illis vlti-
mis, & non videbitis. Non quod non omnes sint vltimi ^{temporis} saecula.

faciles mundi dies. sed quod non eo tempore, quo desiderabant videre. Apostoli & discipuli coniurato in eos mundo, cum se ad mortem peti, ecclesias turbati viderent, furere demonem, optabant Christi aduentum, desiderabant videre aliquem diem, quo signa propinqua iudicii apparent. Nam iussit Christus ad ea signa eos lenare capita, eo quod appropinquaret redemptionis illorum. Hoc igitur eorum desiderium non est impletum, abierunt in locum suum, & necdum venit aliqua dies filij hominis. Hanc esse Christi sententiam ex verbis coniunctis facile demonstro. V. 22. ait: Veniet dies quando desideretis videre vnum. Et dicent vobis, Ecce hic, & ecce illic. Nolite ire, neque sectemini. & 24. nam sicut fulgur coruscans de sub caelo, in ea qua sub caelo sunt, fulget: ita erit filius hominis in die sua.

Hic duobus versibus de eadem die loquitur, ut patet: probat enim non credendum dicentibus, hic aut illic est, & eos non visuros diem filij hominis, quia filius hominis erit in die sua sicut fulgur, illa autem dies non est temporis, quod in primo aduentu transactum est, sed quo iudicaturus est. Deinde v. 26. Et sicut factum est in diebus Noe, ita erit & in diebus filij hominis. Edebant & bibebant, uxores ducebant, & dabantur ad nuptias, vsq. in diem, quando venit Noe in arca: & venit diluvium, & perdidit omnes.

Hic vocat dies filij hominis, ultimos illos, quibus aduentus patetur & ingreditur: nam continet etiam extremum diem. v. 30. secundum hoc erit, qua die filius hominis revelabitur.

Pari ratione v. 34. Dico vobis in illa nocte erunt duo in lecto uno: unus assumetur & alter relinquetur. duo erunt in vinea: una assumetur, & altera relinquetur. duo in agro: unus assumetur, & alter relinquetur.

Hec omnia ad iudicii tempora pertinent. Dies ergo est extrema, & illi qui annexi sunt. Dicuntur autem dies filij hominis, quod illis diebus regnum suum ma-

xime manifestabit, inimicos perdet. Veniet ergo ut fulgur coruscans *ἀπαρτὶ ἀπαρτὶ*, fulgur fulgurans, omnibus manifestus. Græce est *ἀπορτ*, quod est ad verbum. Nam sicut fulgur fulgurans ex ea qua sub caelo, in eam qua sub caelo fulget: hoc ex vna plaga in aliam. Noster legit *ἐκ τῆς ἐκ* in ea. Syrus eodem sensu, licet verba variet: & omnia que sub caelo sunt, illuminet.

§. 4. Nec obstat, quod v. 23. dicitur. Et dicent vobis: Ecce hic, & ecce illic. Duobus enim id modis accipi potest. Primo ut v. 23. loquatur de Christo, quem hic vel alibi esse dicent, quod falsum ait, at versu 21. de Evangelio; alij v. 20. de primo aduentu. v. 23. de secundo agi voluit. Mihi probabilius videtur priore loco agi de eo, quod fieri non potest, nec debet. Nam v. 21. Non dicent, hoc est, non poterunt vere & cum ratione dicere. at v. 23. dicent illi qui impostores agunt.

V. 23. Syrus habet tantum *לֹא תִּזְכְּרֶנּוּ* la thizelim, ne iucitis. Ibid. Ecce hic, & ecce illic, quædam omittunt conjunctionem, non recte.

V. 24. Syrus coruscat de caelo.

27. Edebant & bibebant. Græce abest *καὶ*.

31. Illa hora, græce & Syriace est *ἐν τῇ* die, non intelligit præcise ultimum diem, nulla enim tecta e-runt eo die, omnibus exultis.

33. In quibusdam etiam latinis legitur die.

36. Quod ait, Duo in agro, &c. Francisc. Lucā vide. Correpta tamen latina editio retinet, ideoque omnino retinendum censeo, plurimos enim optimosq. codices illi habuerunt.

37. Matthæus habet *ἡσυχία*, Lucas *σῶμα*, ut monet Euthymius, eodem uterque sensu, licet quidam libri habeant *ἡσυχία*. Christus parabolam exposuit, & utroque nomine usus est. Non est omittendum in fine versus particula *καὶ*, sed legendum *καὶ ἀπὸ τῶν* & aquilæ: Syrus tamen omittit.

CAPVT XVIII.

Dicebat autem & parabolam ad illos, quoniam oportet semper orare, & non deficere. 2. dicens: Index quidam erat in quadam civitate, qui Deum non timebat, & hominem non reuerbatur. 3. Vidua autem quædam erat in civitate illa, & veniebat ad eum, dicens: vindica me de adversario meo. 4. Et nolebat per multum tempus. Post hæc autem dixit intra se: Etsi Deum non timeo, nec hominem reuerbor. 5. Tamen quia molesta est mihi hæc vidua, vindicabo illam, ne in nouissimo veniens suggillet me. 6. Ait autem Dominus: Audite quid index iniquitatis dicit. 7. Deus autem nō faciet vindictam ei: gloriam suorum clamantium ad se die ac nocte, & patientiam habebit in illis. 8. Dico vobis, quia iustus faciet vindictam illorum. Veruntamen filius hominis veniens, putat, inueniet fidem in terra. 9. Dixit autem & ad quosdam, qui in se confidebant tanquam iusti, & aspernabantur ceteros, parabolam istā. 10. Duo homines ascenderunt in templum, ut orarent: unus Phariseus, & aliter Publicanus. 11. Phariseus stans, hæc quæ se orabat: Deus gratias ago tibi, quia non sum sicut ceteri hominum: raptores, iniusti, adulteri, velut etiam hic Publicanus. 12. Ieiuno bis in sabbato: decimas do omnium quæ possideo. 13. Et Publicanus à longe stans, nolebat nec oculos ad cælum leuare: sed percutiebat pectus suum, dicens: Deus propitijs esto mihi peccatori. 14. Dico vobis, descendit hic iustificatus in domum suam ab illo, quia omnis, qui se exaltat humiliabitur: & qui se humiliat, exaltabitur. 15. Afferebant autem ad illum & infantes, ut eos tangeret. Quod cum viderent discipuli, increpabant illos. 16. Iesus autem conuocans illos, dixit: Sinite pueros venire ad me, & nolite vetare: talium est enim regnum Dei. 17. Amen dico vobis: Quicumque non acceperit regnum Dei sicut puer, non intrabit in illud. 18. Et interrogauit eum quidā princeps, dicens: Magister bone, quid faciens viuā aeternam possidebo? 19. Quid me dicit bonū? nemo bonus nisi solus Deus. 20. Mandata nosti: Non occides: Non machaberis: Non furum facies: Non falsum testimoniū dices: Honora patrem tuum, & matrem. 21. Qui ait: Hæc omnia custodiui à iuuenite mea. 22. Quo audito, Iesus ait ei: Adhuc vñ tibi deest: omnia quæcumque habes vende, & da pauperibus, & habebis thesaurū in caelo, & veni sequere me. 23. His ille auditis, contristatus est, quia diues erat valde. 24. Videns autem Iesus illum tristem factū, dixit: Quam difficile, qui pecunias habent, in regnum Dei intrabunt. 25. Facilius est enim camelum per foramen acus transire, quam diuitem intrare in regnū Dei. 26. Et dixerunt, qui audiebant: Et quis potest saluus fieri? 27. Ait illis: Quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deū. 28. Ait autē Petrus: Ecce nos dimisimus omnia, & secuti sumus te. 29. Qui dixit eis: Amen.